



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Romanvm I. Centvm Et Amplivs Episcoporvm occasione Petri Florentini episcopi de haeresi & simonia accusati aduersus simoniacos celebratum anno Domini MLXIII. tempore Alexandri papae II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

*Vltio diuina, populi Cadaloe ruina,  
Te manet, vt diro medium transfuerberet ictu.  
Altipetax Simonem sequeris Simon astra petentem?  
Te quoque Tartareus simul absorbebit hiatus.*

ANNO  
CHRISTI  
1062.

CONCILIVM ARAGONIÆ  
IN HISPANIA ANNO CHRISTI MLXII  
celebratum tempore Alexandri papæ II.

NOTA.

Tempus & <sup>a</sup> *Concilium.* ] Septimo Kalendas Iulii in Hispania apud sanctum  
acta Con- Ioannem Rupensem sub Ramiro rege est celebratum Concilium,  
ciliu. multique episcopi in eodem congregati fuerunt. Quid autem in  
eodem statutum sit, nihil reperimus, nisi vt Aragonii episcopi fu-  
merentur ex monasterio sancti Ioannis, quod antea per regem San-  
cium fuerat institutum. De huius institutione Concilii habentur  
acta in commentariis rerum Aragonensium apud Hieronymum  
Blacam, quæ incipiunt: *Residente glorioso principe*, &c. Vid eBaro-  
nium anno 1062. numero 120.

CONCILIVM ROMANVM I.  
CENTVM ET AMPLIVS EPISCOPORVM  
occasione Petri Florentini episcopi de hæresi & simo-  
nia accusati aduersus simoniacos celebratum anno Do-  
mini MLXIII. tempore Alexandri papæ II.

ANNO  
CHRISTI  
1063.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei omnibus episcopis  
catholicis, cunctoque clero & populo, salutem  
& apostolicam benedictionem.*

VIGILANTIA vniuersalis ecclesiæ regiminis assiduam  
solicitudinem debentes omnibus quæ in Constanti-  
niana Synodo nuper celebrata coram centum amplius  
episcopis, licet nobis immeritis præsentibus, sunt cano-  
nice instituta, vobis notificare curamus, quia ad salutem  
vestram executores eorum vos esse optamus, & apostoli-  
ca auctoritate iubendo mandamus.

CAPITVLA.

I.

Primo namque inspectore Deo, sicut a sancto papa  
Leone,

ANNO  
 CHRISTI  
 1065.

Leone & a sanctæ memoriæ papa Nicolao primum statutum est, Erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate seruanda habendam esse decernimus; sed iuxta Canonum sanctiones & decreta sanctorum patrum, eos omnino damnamus, ac in ecclesia non præesse apostolica auctoritate sancimus.

Cap. Erga  
 simonia-  
 cos. 1.  
 quat. 1.

I I.

De his autem qui non per pecuniam, sed gratis sunt a simoniacis ordinati, quia quæsitæ iam a longo tempore diutius ventilata est quæstio, omnem nodum dubietatis absoluiamus, ita ut super hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur usque adeo hæc venenata pernicies hæctenus inoleuit, ut vix qualibet ecclesia valeat reperiri quæ hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta; eos qui usque modo gratis sunt a simoniacis ordinati, non tam obtentu iustitiæ, quam intuitu misericordiæ, in acceptis ordinibus manere permittimus, nisi forte alia culpa ex vita eorum secundum Canones eis obsistat. Tanta quippe talium multitudo est, ut dum rigorem canonici vigoris super eos seruare non possumus, necesse sit ut dispensatione ad piæ condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus. Ita tamen, ut auctoritate sanctorum apostolorum Petri & Pauli omnimodis interdica- mus, ne aliquis successorum nostrorum ex hac nostra permissione regulam sibi, vel alicui sumat, vel præfigat: quia non hanc aliquis antiquorum patrum iubendo aut concedendo promulgauit, sed temporis nimia necessitas permittendo a nobis extorsit. De cetero autem statuimus, ut si quis in posterum ab eo, quem simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit; & consecrator & consecratus non disparem damnationis sententiam subeant, ut vterque depositus agat pœnitentiam, & priuatus ab ea, propria dignitate persistat.

Cap. Lo-  
 catur. 1.  
 quat. 1.

III.

Præter hæc autem præcipiendo mandamus, ut nullus Missam audeat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, vel subintroducendam mulierem. Vnde sancta Synodus hæc a capite sub excommunicatione statuit, dicens: Quicumque sacerdos vel diaconus post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi

Cap. Pro-  
 pter hoc  
 mandamus.  
 dist. 32.

Concil. Tom. 25.

Pppp

papæ Leonis, aut Nicolai de castitate clericorum, concubinam duxerit palam, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, & auctoritate apostolorum Petri & Pauli præcipimus, & omnino \*interdicimus, vt non cantet Missam, neque euangelium, neque epistolam ad Missam legat, neque in presbyterio ad diuina officia cum his, qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab ecclesia suscipiat.

ANNO  
CHRISTI  
1063.\*contra-  
dicimus,

## IV.

Cap. eodem. §. Præcipientes.

Et præcipientes statuimus, vt hi prædictorum ordinum, qui iisdem prædecessoribus nostris obedientes castitatem seruauerint, iuxta ecclesiam, quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducant & dormiant, & quidquid eis ab ecclesia competit communiter habeant. Et rogantes monemus, vt ad apostolicam communem vitam summopere peruenire studeant, quatenus perfectionem cum his consecuti, qui centesimo fructu ditantur, in cælesti patria mereantur adscribi.

## V.

Cap. eodem in fine.

Vt decimæ, primitiæ, seu oblationes viuorum & mortuorum, reddantur a laicis, & in dispositione episcoporum sint, quas qui tenuerit, a sanctæ ecclesiæ separetur communione.

## VI.

Cap. Per laicos. 16. quæst. 7.

Vt per laicos nullo modo quilibet clericus aut presbyter obtineat ecclesiam nec gratis nec precio.

## VII.

Cap. Eodem. 16. quæst. eadem.

Nec aliquis presbyter duas ecclesias obtineat.

## VIII.

Vt per simoniacam hæresim nemo ordinetur, vel promoueat ad quodlibet officium ecclesiasticum, neque ecclesiis præficiatur.

## IX.

33. quæst. 20. cap. 17.

Et vt de consanguinitate sua nullus vxorem ducat, vsque ad septimam generationem, vel quousque parentela cognosci poterit. Quod prius a Nicolao II. statutum fuit.

## X.

Cap. eodem.

Et vt laicus vxorem simul habens & concubinam non communicet ecclesiæ.

ANNO  
CHRISTI  
1063.

XI.

Vt nullus habitum monachalem suscipiat, spem aut  
promissionem habens vt abbas fiat. Cap. Pet  
laicos. 16.  
quest. 7.

XII.

Vt nullus laicus ad quemlibet gradum ecclesiasticum  
repente promoueat, nisi prius, mutato habitu sæculari,  
diuina consecratione inter clericos fuerit comprobatus.  
Vos ergo hæc & alia sanctorum patrum statuta fideliter  
& Christiana reuerentia obseruate, si vultis sanctæ eccle-  
siæ Romanæ & apostolicæ sedis pace & communionem at-  
que benedictionem & absolutionem gaudere. Valet.

NOTA.

\* Concilium. ] Hæc de his quæ in Concilio sunt statuta summam  
Alexander vniuersæ ecclesiæ. Quod autem spectat ad quartum Can-  
onem, quo decernitur, Vt clerici simul manducent & dormiant,  
bonaque in communi possideant, scias id factum suggestionem Petri  
Damiani, scriptis suis Alexandrum pontificem ad hæc sancienda ro-  
gantis. Extant adhuc ipsæ literæ quibus iste præponitur titulus: *Vt  
canonicis, a quibus in congregatione viuunt, proprietatis habenda licen-  
tia denegetur.* Deinde: *Domno Alexandro beatissimo papa Petrus pec-  
cator monachus seruitutem. Quantum ad nostræ intelligentiæ modulum,  
nullum in humano genere malum perniciosius est criminis, quam defensio  
proprietatis, &c.* Prolixior est disputatio in sæpius citato codice bi-  
bliothecæ sancti Petri in Vaticano. Non de monachis, sed de clericis  
huiusmodi est sancitus Canon: at nec de omnibus clericis, sed his qui  
collegiatis seruirent ecclesiis, quos frequentiore vsu canonicos ap-  
pellare consueuimus, ob id scilicet, quod hisce tenerentur Cano-  
nibus obligati, ad quorum præscriptum vitam ducerent clericalem  
in omnibus regularem, nihil sibi proprium vendicantem. Ad finem  
vero proluxioris disputationis, aduersus proprietarios clericos insti-  
tuta, Petrus ita perorat, dicens: *Verumtamen vt hæc apud inobedi-  
entium clericorum, imo nummicularum rebellionem efficaciter valeant, san-  
cti apostolatus vestri vigor impellat.* Quod dicti superius Canonis san-  
ctione factum audisti. In hoc eodem Concilio Canon ille de celebra-  
tione Missarum ab eodem Alexandro sancitus esse putatur, qui recita-  
tur a Gratiano verbis istis: *Sufficit sacerdoti vnâ Missam in die vno ce-  
lebrare, quia Christus semel passus & totum mundum redemit. Non mo-  
dica res est vnâ Missam facere, & valde felix est qui vnâ digne celebra-  
re potest. Quidam tamen vnâ faciunt pro defunctis, & alteram de die, si  
necessè fuerit. Qui vero pro pecuniis siue adulationibus sæcularium vnâ die  
presumit facere plures Missas, non estimo euadere damnationem.* Hæc ibi.  
Cogendæ Synodi occasionem præbuit Petrus Florentinus episcopus,  
qui a clero populoque Florentino per literas, quas recitat Baronius,  
de simonia & hæresi accusatus, episcopali honore priuatus est. Hæc  
ex actis S. Ioannis Gualberti apud Surium Baronius anno prædicto.

Petrus pro  
vita com-  
muni cano-  
nicorum  
apud Ale-  
xandrum  
papam la-  
borauit.

Cap. Suffi-  
cit, de con-  
secratione,  
dist. 1.

\* alias  
oblationi-  
bus

Concil. Tom. 25.

Pppp ij